



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **HUANCAYENSIS*** IN PERUVIANA REPUBLICA
NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA CONSTITUITUR, NOMINE «HUANCAYENSIS». Quam sit christifidelibus
utilitati territorialis ecclesiasticarum circumscriptionum accommodata dispositio, si praesertim
considerentur sive locorum situs sive nostri temporis adiuncta et necessitates, nemo est quin
videat et ad effectum, quantum fieri potest, adduci cupiat. Cum propterea venerabilis Frater
Romulus Carboni, Archiepiscopus titulo Sidoniensis et in Peruviana Republica Apostolicus
Nuntius, eorum audita sententia sacrorum Praesulum quorum negotium interesseret, ab Apostolica
Sede postulaverit, ut nova in Peruviana Republica provincia ecclesiastica conderetur, oblatis
precibus perlibenter accedendum esse censuimus sequentiaque decernenda. Huancayensem
cathedralem sedem a metropolitana Ecclesia Limana seiungimus atque ad gradum
archiepiscopalis metropolitanae sedis attollimus, cum iuribus et obligationibus congruis. Nova
constituta provincia formabitur metropolitana ipsa atque dioecesi Huanucensi et praelatura
Tarmensi tamquam suffraganeis, quas a metropolitana sede Limana distrahimus. Huancayensis
sedis sacri Praesules dehinc, ut par est, archiepiscopali atque metropolitana dignitate
honestabuntur, cum iuribus et obligationibus quae ex iure canonico iisdem obvenient; quorum
scilicet Praesulum primum dignitate quam diximus insignimus venerabilem Fratrem Marianum
Hyacinthum Valdivia et Ortiz, hactenus Episcopum Huancayensem. Haec quae praescripsimus ut
ad effectum adducantur curet venerabilis Frater Romulus Carboni, quem diximus, vel ab eo
delegatus vir, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero negotium perfecerit
sueta documenta exaranda curet ad Sacramque Congregationem Consistorialemittenda. Hanc
vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per
eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius
Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per
eam iisdem derogemus omnibus, Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel
scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis
impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti
simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic
haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis lunii, anno Domini millesimo
nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri quarto.*

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, Proton. Apost.

Sylvius Romani, Proton.

Apost.

*A.A.S., vol. LVIII (1966), n.16, pp. 1130-1131 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana